



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

LXXX. Vtrum poenitentia sit prima virtutum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

nempe quoad gratiam, & gloriam, vel tantum quoad aliquid aliud adiacens.

Art. 2. Certum est pœnitentiam ex suo conceptu esse promotiuam seu augmentatiuam bonitatis, & perfectionis, tum substantialis, tum accidentalis conuenientis pœnitenti, secundum suam præcisè naturam considerato. Quia deletio peccatorum, quæ formaliter spectat ad Pœnitentiam, non est pura negatio, & remotio mali, vt constat ex quæstione 8. de iustif. sed includit in se infusionem gratiæ habitualis pro præfenti statu eleuationis, & pro statu naturæ puræ acquisitionem naturalis dilectionis Dei. Vtrobis modo superadditur humanæ naturæ bonitas, & spiritualis perfectio substantialis maior quam quæ eidem secundum se necessariò conueniat. Ipsa verò pœnitentia, tam actualis, quam habitualis, per seipsam formaliter, est perfectio accidentalis æstimabilis ratione sui respectu substantiæ peccabilis, vt liquet ex quæst. 75. Itaque pœnitentia ex suo conceptu est substantialiter, & accidentaliter promotiuā bonitatis conuenientis pœnitenti secundum suam præcisè naturam. Hinc à fortiori est similiter promotiuā bonitatis conuenientis eidem, vt suberat statui peccati. Quod scilicet vitiat, ac deteriorat dignitatem naturæ secundum se. Quare, sub neutra ex his consideratione, potest pœnitens perinde omninò se habere proportionaliter, atque se habet quoad bona temporalia, qui restituit, quod iniuste abstulerat, & sic de cæteris eiusmodi exemplis. Consequenter non potest intendere pœnitens remotionem sui mali, quin simul intendat inductionem sui maximi boni, & quin, hac ipsa intentione adiiciat sibi formaliter aliquod bonum, & perfectionem aliquam.

Art. 3. Si autem instituitur comparatio pœnitentis secum ipso pro casu innocentia continuatæ vique ad illud tempus inclusiue pro quo exercetur actus pœnitentiæ, dicendum est vtrumuis contingere posse nempe vt melius, vtque deterius absolute habeat peracta pœnitentia, quam si permansisset innocens. Fieri namque posset, vt conseruaretur innocentia per actum, vel actus minoris perfectionis, ac meriti, quam sint actus pœnitentiæ delentes peccata; ideoque, vt post pœnitentiam adsit maior cumulus gratiæ, seu charitatis, quam adfuturus fuisset innocenti. Euenire etiam, & quidem facilius posset oppositum, vt per se patet; quandoquidem peccatum ex sua natura est impeditiuum, ac diminutiuum perfectionis in subsequenti opere virtutis. Verum, cum prior euentus clarè manifestet conceptum virtutis in pœnitentia; posterior nequaquam eum tollit, aut obscurat. Quia non est de conceptu virtutis, vt qui illam exercet, melius propterea habeat quam habiturus esset sub alia quacumque suppositione possibili. Sufficit si melius habeat, sitque laudabilior exercita virtute; quam haberet, & esset de facto immediatè ante eius exercitium.

Art. 4. Si denique supponatur pœnitentem præhabuisse gratiam ante peccatum; An tunc cumulus gratiæ deperditus per peccatum redeat cum auctario per pœnitentiam? Pendet ex duplici alia quæstione. Altera est de reuiuiscencia meritorum per iustificacionem subsequutam ad peccatum, de qua reuiuiscencia dicitur infra quæst. 96. circa Sacramentum Pœnitentiæ, Nempe ea difficultas est communis gratiæ præhabitæ per Sacramenta, & præhabitæ per merita seu virtutes; atque in Sacramento Pœnitentiæ interuenit simul operatio virtutis pœnitentiæ. Altera quæstio est: An actus virtutum minus intensi, quam sit gratia præexistens sufficiant ad eius augmentum? quæ de re dictum est quæst. 42. de virt. Theol. de vtraque ista quæstione sunt variæ Theologorum sententiæ; & licet vtrouique approbentur à nobis opiniones

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

faventes viribus pœnitentiæ ad augendam gratiam præexistentem, seu ad eam cum aliquo semper augmento restituendam; id tamen necessarium nequaquam est, vt nonnulli putant, ad saluandum conceptum virtutis in habitu pœnitentiæ.

Art. 5. Sufficit nimirum ad conceptum virtutis propriè talis, vt habitus sit electius secundum rationem rectam; atque vt bonum faciat habentem, & opus eius reddat bonum, vt apparet ex quæst. 75. sub initium. Patet autem vtrumque verificari de pœnitentia, siue restituat gratiam præexistentem cum augmento, siue restituat absque augmento; dummodo aliquatim illam restituat, & verè inducat remissionem, ac deletionem peccatorum. Dubitari enim verò minimè potest, quin opus, per quod vterque hic effectus obinetur, sit bonum, ac laudabile, atque electum secundum rectam rationem: sicut est malum, & vituperabile, atque contra rectam rationem opus, ex quo sequitur malum contrarium, siue sequatur cum augmento totius mali, alioquin præexistentis, siue sequatur absque tali augmento.

Art. 6. Quapropter qui elicit actum pœnitentiæ, quidquid sit de modo restitutionis gratiæ, nunquam perinde omninò se habet, atque si nihil vnquam egisset, aut boni, aut mali; quia pœnitens semper est laudabilior, & melior ratione eius actus cæteris paribus, quam si eum non eliceret, atque habebit ex eodem peculiarem gloriam, saltem accidentalem. Per quod iterum patet: pœnitentem differre, quam plurimum, quoad bona spiritualia; à conditione restituentis, & commutantis, quoad bona temporalia; necnon, quoad ludum, ab emendante errorem retrogradum. Quæ sunt exempla, simulque argumenta existimantium ad conceptum formalem virtutis pertinere vim augmentatiuam gratiæ præexistentis.

Art. 7. Concluditur itaque absolute pœnitentiam esse promotiuā boni, & perfectionis, tam substantialis, quam accidentalis, quatenus naturæ pœnitentis secundum se consideratæ semper vtramque superaddit per suum actum, atque perfectionem aliquam, saltem accidentalem similiter superaddit toti bonorum cumulo quandocumque; & vtrunque præexistenti. Ad rationes porro dubitandi pro vtraque parte, patet clarè ex dictis opportunè distributis, quid respondendum, & quomodo distinguendum, ac præsciendum sit.

QVÆSTIO LXXX.

Vtrum pœnitentia sit prima virtutum?

Videtur esse prima, & tempore, & natura & perfectione. Tempore quidem. Primò, quia Glossa ad illud. Matth. 3. *Pœnitentiam agite. Prima virtus est, ait, per pœnitentiam punire veterem hominem, & vitia odire.* Deinde quia in motibus successivis, qualis est motus peccatoris ad statum gratiæ, prius est recedere à termino à quo quod pertinet ad pœnitentiam; quam accedere ad terminum ad quem, quod pertinet ad reliquas virtutes, vt ipse adherentes bono secundum se. Tertio, quia ante pœnitentiam adest in anima peccatum, in cuius præfentia nulli habitui conuenit ratio virtutis simpliciter, vt dictum est alibi cum Diuo Thoma. Vnde præeunte pœnitentia incipiunt deinde alij habitus habere rationem virtutis.

Natura verò videtur esse prior pœnitentia. Quia ad perfectam deletionem peccatorum quoad culpam, & poenam, qui est finis totiusque conatus pœnitentiæ sunt viles, & necessarij actus omnium virtutum.

P p

Ergo

Ergo pœnitentia mouet per suum imperium, ad actus omnium virtutum, & est causa, vt existant. Nempe vnaquæque virtus est causa inductiua omnium, quæ sunt necessaria ad finem ipsius. Est autem de conceptu causæ prioritas naturæ respectu eorum omnium, quæ subinferuntur vi ipsius.

Præminet denique pœnitentia dignitate, & perfectione; Quia est intentiua, & effectiua summi operis, summæque difficilis. Intendit enim, & obtinet à Deo iustificationem impij; hoc est infusionem gratiæ, quæ est summum hominis bonum & victoriam peccati, iam commissi, quæ nihil est homini difficilius.

Art. 1. Respondetur. Nulla in primis est comparatio durationis realis inter habitus virtutum. Quia omnes simul infunduntur in instanti iustificationis, & similiter amittuntur omnes simul cum primum committitur aliquod peccatum lethale, demptis habitu fidei qui solum amittitur per peccatum infidelitatis, & habitu spei, qui præterea amittitur per actus desperationis, vt dictum est in qq. de virt. Theol. Quia propter hi duo habitus saltem vt plurimum existunt prius tempore, quam habitus pœnitentiæ, in homine iustificando à peccato lethali personali, reliqui verò semper habentur simul cum habitu pœnitentiæ.

Art. 2. Quoad prioritatem inter actus virtutum, certum in primis est actum pœnitentiæ non esse primum tempore simpliciter. Quia necessario illum præcedunt actus fidei, & spei, ex quibus ipse dependet. Præcedit etiam actus timoris seruilis. Qui videlicet concipitur facilius à peccatore, & applicat animum ad actus perfectiores postea subinducendos. Cum reliquarum deinde virtutum actibus potest comparari actus pœnitentiæ tum absolute, tum relatè ad iustificationem impij. Et quidem, secundum absolutam considerationem, priores sunt actus cæterarum virtutum, quæ non sunt purè reflexiue supra peccatum. Quia eiusmodi actus sunt appetibiles, & necessarij per se; actus verò pœnitentiæ, non nisi per accidens ratione peccati. Manifestum autem est prius esse secundum absolutam considerationem, quod est per se, quàm quod est per accidens. Verum si comparatio fiat relatè ad iustificationem, & quatenus peccator operatur in ordine ad consecutionem eius; actus pœnitentiæ præcedit ante actus reliquarum virtutum. Qui actus pœnitentiæ intendit cum finem immediatè per se ipsum, atque vt illum consequatur inducit actus aliarum virtutum. Inquam verò virtutum tantum moralium; quia actus charitatis, per se loquendo, imperat cæteris omnibus virtutibus, atque ideo præit per se ante actus earum omnium. Vnde solum per accidens euenit, attenta virtutum, secundum se natura, vt actus pœnitentiæ præcedat ante actum charitatis. Ex his porro rationibus apparet quismam sit ordo naturæ inter istos actus, cum existunt simul tempore. Quismam, inquam, ordo sit, tum per se, tum per accidens, tum absolute, tum relatè ad finem iustificationis impij. Est enim idem prorsus naturæ, & causalitatis ordo proportionaliter, atque is, qui quoad tempus assignatus est.

Art. 3. Quod ad perfectionem attinet, clarum est præminere virtuti pœnitentiæ virtutes in primis Theologicas. Quia habent motuum perfectius, nempe ipsum Deum. Verum præminent vltius eidem virtutes etiam morales, quarum exercitium non præsupponit peccatum per se. Primum, quia omnes tales virtutes, & earum actus sunt appetibiles, & conformes inclinationi naturæ per se nullæque facta suppositione accidentali. At virtus pœnitentiæ, & eius actus non sunt appetibiles, & conformes inclinationi naturæ nisi per accidens, atque ex suppositio-

ne accidentali peccati, vel certè eius intuitu. Appetibilis autem est, atque adeo melius, cæteris paribus, seu intra idem genus immediatum, quod est appetibile per se, quàm quod per accidens.

Art. 4. Deinde alia virtutes præter pœnitentiam feruntur in suum vnaquæque motuum secundum totam rationem bonitatis, quæ ipsi inest, eique adherent per se, & quantum est ex sua natura puro amore maioris perfectionis; ideoque insunt ex sua natura subiecto præexistenti perfectio idest innocenti, eiusque, vt talis bonitatem vltius promouent. At pœnitentia fertur in bonitatem contrariam peccatis, præcisè, & formaliter, vt contrariam illis, eisdemque delendis necessariam, ac denum quasi compulsa, & coacta per indigentiam, duramque necessitatè remediij. Vnde est propria per se peccatoris, vt peccatoris, seu non innocentis, & adhuc rei saltem pœnæ. Nobilior est autem habitus qui adheret honestati secundum se, & per quam qui adheret illi secundum accidens & per accidens ex odio, & fuga mali; & qui est per se, & ex sua natura, perfectius boni ac innocentis; quam qui est per se, & ex sua natura, perfectius male habentis. Nec enim peccator differt ab innocenti per aliquid melius, quàm quæ insunt per se innocenti, nec ille, quia peccauit, potest esse dispositus per se ad opera meliora; quam sint opera innocentis propria sicut non sunt meliora, qualitates, & opera intrinsecè propria ægroti, aut valetudinarij, quam quæ sunt propria sani, ac robusti.

Art. 5. Postremo nemo vnquam dubitauit; an reliqui habitus honestè ac laudabiliter operatiui sint virtutes; cum negent nonnulli pœnitentiam esse virtutem, & omnes disputent; an sit virtus? maior autem est bonitas, cuius prærogatiua incompensabilis est omnibus ex se conspicua atque indubitata, quam cuius est obscura, & controuersa. Hoc enim posterius euenit solum infimis sub vnoquoque genere, atque politis in confini generis inferioris, vt habetur ex Philos. lib. 8. de hist. anim. c. 1. & lib. 3. de gener. anim. cap. 11. Igitur pœnitentia est infra cæteras omnes virtutes, non solum Theologicas, sed etiam morales, non reflexiue per se supra peccatum.

Art. 6. Ex his facile fat fit rationibus dubitandi. Quod attinet ad prioritatem temporis, glossa in primis illam attribuit aui pœnitentiæ prioritatem solum comparatione aliarum virtutum moralium non reflectentium per se supra peccatum, idque relatè ad terminum iustificationis impij, vt habetur ex D. Thoma quæst. 85. art. 6. c. & ad 1. Quod consonat iis quæ præmissa sunt supra art. 1. & 2. Deinde in motibus successiuis prius est ordine intentionis, qui ordo attenditur in actibus animæ, atque virtutum, quod est vltimum in executione. Vltimum autem in executione pœnitentis, est accessus ad Deum, cui secundum se adherent virtutes Theologice; Necnon liberatio à malis consequentibus ad peccatum, quæ mala secundum se horret timor seruilis. Habitus autem virtutis pœnitentiæ ita inducitur per actum pœnitentiæ, vt simul reliqui etiam habitus virtutum inducantur, vt suppositum est initio.

Art. 7. Quoad ordinem naturæ, & causalitatis dictum iam est, charitatem imperare per se reliquis omnibus virtutibus, in ordine ad quemlibet finem honestum vniuersaliter, & sine vlla exceptione. Pœnitentiam verò imperare reliquis virtutibus moralibus relatè ad deletionem peccatorum. Vnde earum actus, solum quatenus ad hunc finem referuntur, sunt per se posteriores naturæ, quam actus eliciti virtutis pœnitentiæ. Nec enim sufficit ad hoc vt aliquid subit imperio pœnitentiæ, eodèque inducatur, id esse necessarium aut vtile ad finem ipsius pœnitentiæ; quandoquidem substantia etiam hominis, & Deus aliæque multa

multa non substantia imperio pœnitentiæ sunt eius modi. Requiritur ergo præterea vt non præexistat ex sua natura, nec inlit homini independenter à sine peculiari, & proximo pœnitentiæ.

Art. 8. Quoad ordinem perfectionis, ea mensuratur in virtutibus ex perfectione motui formalis, quatenus intenti per ipsas, seu secundum conceptum formalem sub quo intenditur. Pœnitentia autem intendit bona animæ, non secundum se tota absolutè, & quasi pleno amplexu, vt faciunt aliæ virtutes; sed præcisè in subsidium, & quatenus peccatis commissis contradicunt quoad culpam, & pœnam. Quod est minoris perfectionis, vt dictum est. Iam opus iustificationis impij est quidem præstantissimum, sed illud non exequitur immediatè pœnitentia, nisi inchoatiuè tantum, ac remotè, vt infra magis declarabitur quæst. 83. & 84. atque perfectio virtutis attenditur penes effectum immediatum eiusdem. Est etiam difficillimum idem opus, & actus ipse pœnitentiæ est ex se valde difficilis; non tamen est difficilis difficultate fundata in excellentia actus, sed in mala dispositione operantis, quæ non auget ex sua natura, sed deprimit laudem virtutis; siquidem intrinsecum ipsi sit, vt operetur cum eius generis difficultate, vt colligitur ex dictis cum D. Thomâ quæst. 3. de act. human. ad 5.

QVÆSTIO LXXXI.

Vtrum peccator, & peccatum sint subiectum, & materia adæquata pœnitentiæ.

Videtur neutrum adæquari omninò pœnitentiæ. 1. Quia sicut per eandem virtutem charitatis amamus, & querimus vnionem cum Deo, tum nobis, tum etiam aliis ita possumus per eandem virtutem pœnitentiæ, velle, & procurare, tum nobis, tum etiam aliis deletionem peccatorum, quæ auertunt à Deo. Ergo etiam is, qui peccare non potest sicut Christus Dominus est subiectum capax virtutis pœnitentiæ, per quam intendatur deletio peccatorum, quæ committuntur ab aliis.

2. Beati, tametsi peccare amplius non possint, nec sint peccatores; retinent nihilominus habitum pœnitentiæ. Et è conuerso eundem nec habuerunt, nec habent Angeli peccatores. Ergo nec omnis, nec solus peccator est subiectum capax virtutis pœnitentiæ.

3. Peccata venialia non sunt offensæ Dei, siquidem inesse possunt iustis etiam & amicis Dei, ac proinde non habentibus Deum offensum, sed placatum, & amicum. Dictum autem est supra, q. 75. Pœnitentiam ferri in deletionem peccatorum, quatenus sunt offensæ Dei. Ergo peccata venialia non sunt materia pœnitentiæ. Similiter peccatum originale, licet è conuerso sit offensæ Dei, vt pote reddens hominem inimicum eius; non tamen est materia pœnitentiæ. Quia de ratione veræ pœnitentiæ est propositum emendationis imposterum, vt infra dicitur. Propositum autem emendationis non cadit in ea, quæ aliena voluntate commissæ sunt, vt commissum est peccatum originale. Ergo non omne peccatum est materia pœnitentiæ.

4. Virtus pœnitentiæ non solum intendit deletionem peccatorum, quoad culpam, sed etiam quoad pœnam. Etenim remissio, etiam pœnæ pertinet ad totalem deletionem peccati. Nempe reatus pœnæ, quoad vsque penitus extinguatur, impedit ingressum animæ in Regnum Cœlorum, atque ad pœnitentiam perfectam peccatorum pertinet, remotio omnis eius-

modi impedimenti. Pœna autem peccati non est peccatum, sed effectus peccati adæquatè distinctus ab ipso, atque inductus à Deo, à quo peccatum induci non potest. Ergo peccata non sunt obiectum materiali adæquatum pœnitentiæ.

5. Virtus pœnitentiæ intendit, ac inducit opera pœnalia, & satisfactoria, quibus redimuntur pœnæ alias persolvendæ propter peccata in Inferno, aut Purgatorio. Ergo ea etiam opera, & non sola peccata comprehenduntur in materia, seu obiecto materiali adæquato virtutis pœnitentiæ.

Artic. 1. Respondetur subiectum, & materia cuiusque virtutis circumscribuntur limitibus motui formalis, circa quod ipsa versatur. Omnes etenim, & soli illi sunt capaces vniuscuiusque virtutis, qui sunt capaces, vt amplectantur motuum eius formale. Et rursus omnia illa, & sola sunt obiecta materialia cuiusque virtutis, quæ sunt volubilia, aut odibilia ratione eiusdem motui, atque ab eadem distinguuntur.

Art. 2. Quapropter neganda in primis est cum Vasquez & aliis, virtus pœnitentiæ Christo Domino, necnon, & Angelis. Quia Christus non poterat peccare, nec habere naturam, quæ aliquando peccasset, vt dictum est quæst. 20. de Incarnat. Angeli verò non poterant delere, aut velle delere peccata propter innatam immutabilitatem ipsorum, vt dictum est, in loco. Ergo neutri poterant affici ad deletionem peccati, eaque impotentia inerat ipsis permanentè, & in perpetuum. Neganda rursus hæc virtus, cum eodem Authore, quoad habitum, & quoad actum B. Virginis, atque beatis omnibus, qui nunquam peccauerunt. Quia nec B. Virgo, nec beati Innocentes, ex quo beati sunt, vllum potuerunt, aut possunt habere peccatum, ad cuius deletionem afficerentur, aut afficerantur, sed sunt præditi donis gratiæ, quibus sicut redduntur expertes peccati, & contingentia peccandi: ita redduntur incapaces pœnitendi, & eliciendi actum aliquem proprium habitus pœnitentiæ. Neganda insuper est hæc virtus, cum communi omnium sententia, quoad habitum supernaturalem omnibus existentibus in peccato lethali, siue actuali, siue habituali, dum in eo perseverant. Quia per quoduis peccatum lethale amittuntur omnes habitus supernaturales, præterquam fidei, & spei, nec redeunt, nisi redeunte gratia, & charitate.

Art. 3. Concedenda verò in primis eadem virtus, quoad habitum omnibus potentibus proximè, & peccare, & delere peccata, simulque existentibus actu in gratia. Quia quatenus existant in gratia, & sunt iusti, non habent indignitatem, per quam excludant à se perfectionem istam supernaturalem; & quatenus habent potentiam proximam peccandi, atque delendi peccatum, sunt idonei, vt exerceant eum habitum, ac proinde vtiliter illum habent. Concedenda rursus est quoad habitum, omnibus, qui aliquando peccauerunt, & deleuerunt peccata commissæ, tamen amplius peccare iam non possint, nec superfluit vlla peccatorum reliquia, quæ pœnitendo tollantur; concedenda etiam ex iis, qui nunquam adhuc peccauerunt, possunt tamen, & peccare, & delere peccata. Quia innocenti peccabili, & emendabili, vtile est atque opportunum, esse præuentum remedio respectu mali contingentis comparatione sui, & qui aliquando peccauit, ac deinde deleuit peccatum, semper potest exercere habitum pœnitentiæ per actum proprium ipsius, nempe per gaudium de deletionem, & victoriam peccati iuxta notationem præmissam quæst. 74. ad 2. Hinc merito à D. Thomâ 1. p. q. 95. art. 3. & ab aliis tribuitur Adamo habitus pœnitentiæ etiam ante peccatum, atque ab eodem in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2. cum plerisque aliis